
J. Pinciérus
C. Johannides Vallipaganus.
Utrum sit largius prandendum an vero coenandum.

1593.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 165 [11,-63 4°]




Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 165 [11,-63 4°]


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 165 [11,-63 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 165 [11,-63 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 165 [11,-63 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 165 [11,-63 4°]

11,-63.
(LN bis 165)
DA BOX
BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 165 [11,-63 4°]

11-63.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 165 [11,-63 4°]

Domino NICOLAO – HENRICO, hero
Suo obſervando, S.F.Q.P. D.

N um tibi pro meritis compensat pagina parva! a H
I nclyte mæcenas ſymbola grata sum E
C onsule quæso boni, Thesibus cum, nobile carme N
O ptimá de Muſis tuis merere preco R
L ætitiæ Regi ſicut unica rapa potens — I
A gricolæ fuerat, sic tibi charta ſit hæ C
U sque adeó extollam monumenta, alias pia fat U
S it tua virtutum, conjugis atque decu S.

Chriſt. Joh. Vall.
Herb. Cal. April.
A. 93.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 165 [11,-63 4°]

EXAMEN CONTROVERSIÆ,

VTRUM SIT LARGIUS PRANDENDUM AN VERO COENANDUM: INSTITUTUM PUBLICE in celebri Schola Herbornenſi Naſſovia.

PRÆSIDE

DN. JOHANNE PINCIERO MEDICINÆ ET PHILOSOPHIÆ DOCTORE AC PROFESSORE, ET ILLUSTRIUM NASSOviorum Comitum Ἀρχιάτρῳ.

RESPONDENTE

CHRISTOPHORO JOHANNIDE VALLIPAGANO DANO.

HERBORNÆ NASSOVIORUM
Typis Chriſtophori Corvini,
cIɔ Iɔ xcIII.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 165 [11,-63 4°]

AD LECTOREM.

OMnibus in rebus modus eſt tutiſſimus. Ergo
Prandens modũ tene, & tene cœnans modũ.
Judice me, legẽ ille modus ſed continet iſtam,
Ut cœna pauló parcior ſit prandio.
Sic ratio dictat, jubet experientia veri
Magiſtra; alii licet ſtatuant contrarium.
Quos rogo, me veri venia dignentur amicum.
VEL *ſumma cedat veritati autoritas.*

Johan. Pincier Medicinæ &
Philoſophiæ D.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 165 [11,-63 4°]

VIRTUTE ET GENERE PRAESTANTI VIRO, DN. NICOLAO HENRICO, HELLESPONTI-DANIÆ VECTIGALIUM REGIORUM QUÆſtori, & Roſchildenſi Canonico, domino meo debitâ obſervantiâ colendo, S. P.

SExennium præteriit clariß. ac doctiß. Domine, poſteaquam talentum, DEO *ita providente, mihi largitus es; quod quidem ego non ſolúm accepi gratus, ſed ab eo quoque tempore, commodæ id concedere negotiationi, pro meo modulo diligenter ſtudui. An veró fideliter in eo ſim negotiatus, penes te & reliquos viros bonos, mihi & Zvuendio meo bene qui cupiunt & volunt, judicium eſto. Interim tamen quantum ex illo peculiolo apud ipſum depoſitum ſit lucri, tempus aliquando dabit, idq; cum patriæ dulciſſimæ ac amicorum, ut ſpero, emolumento & gaudio. Nam ſi in Philoſophiæ labyrinthis non tantopere ipſum, ut omnes optamus, verſatum, attamen pietate & modeſtiâ,* DEO *juvante, inſtructum videbitis & habebitis. Quarum virtutum progreſſus, poſt* DEUM, *illuſtri huic Naſſoviorum Scholæ acceptos ferre, ipſe non dubitat. Equidem in illa, quantâ fide erudiatur juventus, quotquot ſtudiorum hîc cauſſâ commoramur, ſi velimus, ſine adulatione teſtari poſſumus. Et ſané, ne ipſemet in crimen ingrati ſilentii incidam, contra hypocritarũ quorumvis, vel occultos latratus vel affectatas ac proindé fucatas laudes, affirmare audeo, rectiús huic Scholæ illud competere quám olim Iſocratis Athenienſis oratoris domo (quod tamen cum ſupercilio magno jactârunt Græci & Latini) videlicet exinde veluti ex equo Trojano imó plantario Eccleſiæ & Reipub. multos prodire agnitæ veritatis ac proinde veræ religionis patriæq; cuſtodes. Cæterúm, ut ad te revertar vir ornatiſſime, cogitanti mihi hactenus, primúm de uſura pro accepto talento tibi referenda, dein felicem eſſe eum cui conceſſum eſt de ſe bene-merentibus parem gratiam remetiri: feliciorem tamen, cui ut libet, ita etiam licet, accepta beneficia cum fœnore aliquo rependere: ac eam deniq; remunerandi facultatẽ mihi omnino deeſſe agnoſcenti; ſemper venit in mentem, quod proverbio dici ſolet:* Melius eſt tardé quám nunquam. *Et illud:* Sat citó, ſi ſat bene. *Quibus per omnia licet reſpondere nequeam; tamen*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 165 [11,-63 4°]

hac in re ſolatur me vehementer illud Poëtæ, Eſt aliquid prodire tenus, ſi non datur ultra. *Idcircó datâ nũc qualicunq; opportunitate, quas offero, accipias quæſo gratitudinis ergó haſce Theſes, á me tam exercitii gratiâ quám juſſu* Cl. Dn. *Præſidis ac Præceptoris mei obſervandi conceptas, ab ipſo autem ad limam revocatas, ſeu potiús quod fateri non pudet de integro factas, ipſiusq́; conſenſu, tuo, ut vides, nomini inſcriptas, atq; non tam doni tenuitatem quám donantis animum gratum, humilem, officioſum ponderare velis, etiam atq; etiam rogo.*

Quod reſtat, meritó meum rogamen
Te ſalvere jubet, jubet valere,
Uxorem tegat & regat TRINUNUS,
Et fratres tueatur ILLE veſtros,
Quo voto nihil eſt erítve majus.

T. H. obſervantiſſ.

C. J. V. D.

THE-

THESIS I.

VTrum prandendum ſit largiús an cœnandum, á multis præſtantiſſimis viris hactenus magno cum fervore in utramq; partem eſt diſceptatum, & tandem eó á pleriſq; diſceſſum, quód cœna prandio debeat eſſe largior.

II.

Quapropter, etſi fortaſſis aliqui dicturi ſunt, me (ſi parva licet componere magnis) poſt Homerum Iliada ſcribere, ſive idem illud cum pleriſque, ſive cum cæteris contrarium ex integro defendendum ſuſcepero; ſpero tamen æquiores mihi futuros, ſi intellexerint, me quidquid hujus fecerim, amore veritatis, ſtudioque boni publici impulſum feciſſe.

III.

Igitur ſi nec inveterata conſuetudo, nec morbus aliquis, nec vitæ genus, nec inopia impedimenti quid afferat, eum valetudini ſuæ rectiús conſulere arbitror, qui prandio utitur uberiore, quám, qui uberiore cœna.

IIII.

Quod σὺν θεῷ tum veterum tum novorum argumentorum robore ita confirmare ſtudebo, ut non ſine cauſſa hanc ſententiam adverſæ videar prætuliſſe.

V.

Initio autem eorum, qui contrá ſentiunt, rationes ob oculos ponam, iisq; proba judicii bilance diligenter expenſis, quantum ſingulæ ponderis habeant, oſtendam.

VI.

Primó quum alimentum in ventriculo non aliter quám calore naturali concoquatur (quam concoctionem Græci χύλωσιν, hoc eſt, cibi & potus in chylum cōverſionem appellant) hinc inferunt, quo tempore calor ventriculi viget maximé, ſub id corpora pleniús alenda eſſe. Atqui calorem ventriculi nocturno tempore dicunt vigere maximé. Sub noctem igitur corpora

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 165 [11,-63 4°]

pleniús alenda eſſe. Quumque eo tempore cœnare ſoleamus, idcirco eſcam in cœna largiús exhibendam eſſe.

VII.

Quód veró ventriculi calor noctu nobis dormientibus intendatur, duobus argumentis probant: quorum alterum á noctis frigiditate deſumunt, alterum á ſomno, cui capiendo nox eſt deſtinata.

VIII.

Noctis frigiditate extrinſecus corpus ambiente calorem ab extremis partibus in corporis penetralia repelli, ibiq; cum eo, qui jam intus erat, conjunctum fortiorem reddi affirmant: quippe quum idem poſſit noctis frigiditas, quod tempus hybernum.

IX.

Augeátne calorem corporis noſtri ἀντιπεριστάσις hyperni frigoris, an minuat, aliâs diſputatum eſt, probatumq; non augere.

X.

Et, ſi augeret, iniqué tamen nocturnum frigus cum frigore hyberno comparatur. Quis enim unquam inter diem & noctem mutuó ſeſe contingentes, tantum caloris frigorisq; diſcrimen animadvertit, quantum eſt inter frigus hybernum & calorem æſtivum: Si igitur paria non ſunt, quî poterunt idem?

XI.

Fac autem aliquid poſſe. Ecquid veró frigori nocturno juris in nos permittimus? Nónne corpora ita ſæpe culcitris & ſtragulis oneramus, ut ſudorem vel hyeme nobis extorqueant? Quid igitur ibi frigus agat, ubi ne admittitur quidem?

XII.

Jam veró ſtragulis corpus fotum incaleſcere foris, præter uſum quotidianum Galenus docet in Commentar. in 6. Epidem. Hippocrat. ſect. 4. aphor. 14. ubi calidiores naturas, quo internus earum fervor mitigetur, in loco frigido decumbere jubet; ſed ita, ut bene tegumentis ſint cooperti. Sic enim fore putat, ut calor ad cutim evocetur, qui alioqui ob aëris frigiditatem ἀπὸ τῆς ἐκτὸς ἐπιφανείας εἰς τὸ βάθος τοῦ σώματος refugiat.

Quod

XIII.

Quod ſi verum eſt, quó ventriculus cibos meliús digerat, aut omnino non erunt corpora operienda, aut ita leviter, ut frigoris appulſui nihilominus maneant expoſita.

XIIII.

Quo auxilio, qui volet, utatur. Ego ita tectus, ut foris etiam caleam, & bene dormio & de impedita concoctione conqueri non ſoleo. Secus, ſi frigeam.

XV.

Demus autem calorem á frigore repulſum intró fugere, quó fugiet? Utique ad cor potius, tanquam ad fontem ſuum, quám ad ventriculum. Proinde ne hac quidem ratione ventriculus in ſomno reddetur calidior.

XVI.

Unde apparet valde frigidum eſſe argumentum, quod á noctis *frigiditate* petitur. Utinam, quod á ſomno, non ſit priore illo longé frigidius.

XVII.

Somnum qui cœnam ſubſequitur, miré concoctionem adjuvare dicunt, quód calor præcipuum concoctionis inſtrumentum nobis dormientibus intró ſe recipiat.

XVIII.

Allegant autem Hippocratem 6. Epidem. ſect. 4. aphor. 12. ſic inquientem. ἐμφανῶς ἐγρηγορὼς θερμότερος τὰ ἔξω, τὰ ἔισω δὲ ψυχρότερος. καθεύδων τὰναντία. *Plané vigilans calidior circa exteriora, frigidior circa interiora, dormiens contrá.* Quod Galenus in ſuo in iſtum Aphoriſmum Commentario ex eo liquere ait, quia dormientes pluribus ſtragulis & tegumentis egeant, quám interdiu vigilantes. Quod ita ſe habere facilé credo. Quare autem ita ſe habeat, aliud ego in cauſſa eſſe puto, aliud illi, contra quos agimus.

XIX.

Vigilantes, me judice, extrinſecus calent, frigent dormientes, quód vigilantes plerunque corpus exercent, dormientes non item.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 165 [11,-63 4°]

XX.

Exercitium enim nón modó languentem calorem in nobis refocillare, verúm etiam quaquaverſum diſtribuere, cui non compertum eſt? Hinc illa brachiorum jactatio, qua frigentes utuntur ruſtici. Hinc illud, quód equites in magno gelu iter facientes, quoties frigore pené obriguerunt, ab equis deſcendunt, gradiunturque uſque dum recaleſcant. Et quid frigore ſæviente, id genus exemplis crebrius?

XXI.

Quoniam veró etiam illis, qui vigilantes á corporis agitatione abſtinent, idem quod dormientibus evenit: conſequens eſt, non ideo in ſomno frigere exteriora, quód dormiat homo, ſed quód corpus non exerceat.

XXII.

Quæ res efficit, ut affirmare dubitem, calorem introrſum inter dormiendum revocari. Facilé autem crediderim non diffundi, quód corporis exercitia ceſſent, quamdiu ſomno vacatur.

XXIII.

Quód ſi *revocari* ſumant pro eo, quod eſt *refugere*, quid calor fugiet aliud quám ſuum contrarium, quod eſt frigus? Quum veró hac ratione argumentum hoc cum ſuperiori coincidat, eodem reſponſo abſolvendum exiſtimamus.

XXIIII.

Adhuc igitur in ancipiti manet, dormiénsne vigilantem interno calore ſuperet, quod tamen illi pro confeſſo ſumunt.

XXV.

Eſto autem. Revocetur calor, & quidem, ut volunt, cum ſanguine. Ergo per venas velut ſanguinis canales ad hepar refluet, quod ſanguinis officinam & ſcaturiginem, venarumque principium ſtatuimus.

XXVI.

Aſt caloris revocatione tali parum juvabitur ventriculus, lon-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 165 [11,-63 4°]

longéque fiet probabilius αἱμάτωσιν in hepate tum reddi expeditiorem.

XXVII.

Jam ſi abſque ulla tergiverſatione vel prætextu concedamus, quod ſentiunt ipſi, ſomno concoctionem in ventriculo miré adjuvari: tum præcipué ſomno foret indulgendum, quum ventriculus iſto adjumẽto opus habet maximé. Atqui nunquam eo magis opus habet, quám mox á cibo. Tum enim & crudus adhuc cibus coquendi vim requirit majorem, & frigidis quibusdam eduliis, frigidoque potu ventriculus frigefactus recalefieri poſtulat. Igitur ſaturi ſomno ſe dare quamprimúm debebant.

XXVIII.

At veró eos, qui id faciunt, malé cibos concoquere & liquefacere documento ſunt nauſea, ructus, inflatio, ac gravitas dolorque ventriculi & totius corporis languor, quibus affliguntur.

XXIX.

Quod ſi in pravam conſuetudinem res abeat, ſomnus pleno ventriculo ciboque nondum cocto multoties obortus, quód crudis, inſuavibus noxiisque vaporibus caput repleat, cerebrum debilitat, ſenſus motumq; vitiat, memoriam minuit, perturbat judicium, vertiginem excitat, incubo gravat, corpus catharris reddit infeſtum. Unde exiſtunt coryza, tuſſis, lippitudo, arthritis, paralyſis, apoplexia, ut febres prætermittam, quę ex cruditate ceu fonte quodam ſolent oriri.

XXX.

Quod ſi hæc mala ex frequenti ſomno meridiano magis provenire dicent, quám ex nocturno, rogare libet, cur non etiam ex nocturno, qui cibo æqué citó ſuccedat?

XXXI.

Meridianum breviorem eſſe ajunt, quám ut ad perfectam cibi digeſtionem ſufficiat.

XXXII.

Quid tum poſtea? Sané ſi ſomnus ventriculo in cibis con-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 165 [11,-63 4°]

ficiendis occupato auxiliatur: ille, qui ſumto cibo, per unam horam dormit, aliquantulum auxilii præbebit ventriculo, plus, qui per duas: adhuc plus qui per tres; ſemperque proderit, ut protinus ad illud tam proclive concoctionis auxilium confugiatur, ſive quis pranſus ſit, ſive cœnarit. Utrobique enim par ratio, ſi conſuetudinem excipias.

XXXIII.

Equidem Galenus in Commentar. in aphor. 67. ſect. 4. ἐπὶ τῇ τροφῇ κατενεχθέντας εἰς ὕπνον πληροῦσθαι τὴν κεφαλήν: *ab alimento ad ſomnum converſis caput impleri*, nulla inter prandium & cœnam addita diſtinctione affirmat.

XXXIIII.

Et illi, qui pro ſomno tanquam ventriculi coquentis adjutore tantopere decertant, ipſimet duarum horarum ſpacium inter cœnam & ſomnum intervenire oportere præcipiunt, quod quidam iſto diſticho complexus eſt:

Ante tamen placidæ quám tradas membra quieti,
Altera poſt epulas fluxerit hora vide.

XXXV.

Quo præcepto quid aliud teſtatum faciunt, quám ſe ſomnũ pro χυλώσεως impedimento potiús, quám adjumento habere, quantumvis aliter ſcribant? Alioqui confeſtim á ſomno dormire juberent.

XXXVI.

Crede mihi, tanto quies obtingit ſuavior, tantoque cibi digeruntur meliús, quantó quis diutiús á cœna ad tertiam uſq; horam vel pauló ulteriús vigilaverit.

XXXVII.

Quod quia ebrioſi non obſervant, non mirum eos fructuum intempeſtivi ſomni, quos ſuprá theſibus 28. & 29. recitavi, ubertim fieri participes, & quidem præcocium, propter plurium cauſſarum eodem tendentium concurſum. Siquidem cum intempeſtivo ſomno crapulam ſimul & ingluviem conjungunt.

Et

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 165 [11,-63 4°]

XXXVIII.

Et cur tenuiorem cœnam quám prandium iis commendant, qui vexantur catharris? niſi quia ſciunt pleniorem cœnam propter ſomni propinquitatem multos vapores in caput transmittere, qui in cerebro in humorem condenſati, novâ materiâ ſubindé ſuggeſtâ catharros non tantúm conſervant, verumetiam generant. Quid enim iſta conſervatio aliud eſt, quám continua generatio?

XXXIX.

Quapropter qui catharris jam obnoxius eſt, meo ſuaſu parcé cœnet, ut talis eſſe deſinat: qui nondum eſt; idem faciat, ne talis fiat.

XL.

Hoc etiam perpendant velim, cur mané expergefacti ab edendi deſiderio per plures horas tam ſumus alieni, ut cibum etiam faſtidiamus, aut ſi forſan exigente neceſſitate aliquid comedamus, id inſuave putemus aut certé non tam gratum, quám ſi conſueto prandii tempore comederetur: curque id quod tam mané aſſumtum eſt, tam difficulter á natura ſuperetur, ut ſæpé toto die ventriculum gravare, corpus languefacere mentemq; obnubilare ſentiatur.

XLI.

Quid? quód famis importunitatem fallit ſomnus, quod in crebro uſu habent ignavi

Sponſi Penelopes fruges conſumere nati,

Qui tarditatem prandii pertæſi quó minus fame infeſtentur, ſomnum in multam lucem protrahunt.

XLII.

Quid? quód phlegmaticæ naturæ cumprimis ſunt ſomnolentæ. Quid? quód ſomno nimiúm dediti phlegma accumulant. τοῦτο δὲ ψυχρότατόν ἐστι, teſte Hippocrate in lib. de natura humana, & ob caloris debilitatem generatur.

XLIII.

Elucere ex jam dictis, opinor, nec propter frigiditatem nocturnam, nec propter ſomnum calorem internum ita adaugeri, ut ventriculo coquenti opituletur, ideoque fruſtrá inde concludi, cœnandum eſſe uberiús quám prandendum.

XLIIII.

Agedum audiamus quid porró afferant. Tum, inquiunt, copioſiús alendum eſt corpus, quum ad concoctionem abſolvendam datur tempus longius. At longius tempus datur á cœna ad prandium, quám á prandio ad cœnam. Nam prandium cœnam ſeptendecim circiter horarum intervallo ſequitur, á prandio autem ad cœnam ſeptem duntaxat horæ labuntur. Ergo, inquiunt, copioſiús alimentum convenit in cœna quám in prandio.

XLV.

Magnam vim huic argumento meritó attribueremus, niſi cœnæ immineret ſomnus quem χύλωσιν retardare potiús quám promovere oſtendimus. Quod ſi eam ſequeretur vigilia, nihil hoc argumento eſſet validius.

XLVI.

Quód autem vigilia concoctionem maturet, teſtis eſt experientia. Quia vigilantes, ut fieri ſolet á prandio, plus cibi ſeptem horarum ſpacio conficiunt, quám ſeptendecim horis conficiunt dormientes.

XLVII.

Nec ſine cauſſa ab Hippocrate 6. Epidem. ſect. 4. aphor. 18.
al. βόρον. prolatum ἀγρυπνίη βορρὸν *vigilia edax*, ἐπειδὴ ἡ ἀγρυπνία τοὺς ἀνθρώπους ἐργάζεται βορροὺς τοῦτ' ἐστι πολὺ δυναμένους ἐσθίειν, quód *vigilia homines faciat edaces*, ut Galenus interpretatur.
al. βορου.

XLVIII.

At veró vigilia edaces facit non tantúm, ut ibidem vult Galenus, συνυπάγοντος ἑαυτῷ τοῦ συμφύτου θερμοῦ οὐκ ὀλίγα μόρια τῆς τοῦ σώματος οὐσίας, *educente ſecum calido innato, non paucas corporis ſubſtantiæ partes*. verúmetiam quód motu, quo utuntur vigilantes,

tes, internus calor excitetur, augeatur & in univerſum corpus effundatur.

XLIX.

Quarum cauſſarum utramcunque recipias, ſemper parciús cœnandum judicabis quám prandendum.

L.

Nam quó major fit reſolutio, eó majore opus eſt refectione. At circa prandium ob vigilias, quæ ipſum tam præcedunt quám ſequuntur, reſolutio fit major, quám ſub tempus cœnæ. Ergo in prandio opus eſt refectione majore, quám in cœna.

LI.

Deinde aucto calore per motum, meliús abſolvitur concoctio, cujus ipſe cauſſa eſt præcipua. Aſt & ante prandium exerceri ſolent homines & diu á prandio. Ante cœnam autem etſi exerceantur, peracta tamen cœná, tanquam laborum penſo abſoluto, ad quietem confugiunt. Quapropter prandere largiús quám cœnare expedit.

LII.

Ejus rei periculum facere in ſuopte corpore unuſquiſque poteſt, nec aliter ſe habere comperiet.

LIII.

Eademque manifeſté & irrefragabiliter confirmantur eorum voracitate, qui labore corporis victum ſibi quærunt. Quorum labor prout cum majore membrorum agitatione obitur, ita etiam cibi plenioris frequentiorisque neceſſitatem invehit. Sic fabri lignarii, ferrarii, agricolæ, trituratores prandio & cœna nequaquam contenti, jentaculum etiam & merendam dari ſibi poſtulant.

LIIII.

Neque eſt, quód calorem per exercitia ex internis viſceribus forás evocari, evocatumque viſcera deſtituere, aliquis prætendat. Excitari veriús diceret, præſertim ſi exercitia mediocritatis terminos non tranſiliant, ſed ſecundúm cujuslibet vires uſurpentur & adhibeantur.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 165 [11,-63 4°]

LV.

Atque á prandio caput vaporibus repleri dicunt, ideoque prandio tenuiore utendum eſſe.

LVI.

Quibuſdam id contingere, ait Galenus libr. 6. de ſanitate tuenda, quem allegant, non autem omnibus. Ego veró haud gravatim dabo omnibus illis contingere, qui ſaturi ad quietem potiús quám laborem ſeſe conferunt. Nam qui pranſus deſidet otioſus, ſomnolentiâ corripitur, facileq; obdormiſcit, niſi colloquio aut aliter ſomnum arceat. Quod ſi ambulaverit alióve corporis exercitio uſus fuerit, non eſt, quod ab illa capitis repletione tantopere ſibi metuat.

LVII.

Deinde quó ſit ab illa tutior, ad prandium non accedat niſi poſt longum, ſed juſtum tamen á ſomno intervallum. Etenim quó prandium ſomno propius eſt, eó cerebrum ad injurias vaporum invenit opportunius, quippe vaporum in ſomno collectorum reliquiis per vigilias & motum nondum diſſipatis.

LVIII.

Quæ hactenus ultró citroque allata ſunt, vel mediocri judicio præditis facilé perſuadebunt, minus incommodi valetudinem accipere ex prandio largiore quám ex largiore cœna.

Hippocr.

Ἄσκησις ὑγιῆς, ἀκορίη τροφῆς ἀοκνίη πόνων.

F I N I S.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 165 [11,-63 4°]